Johannis Conradi Ruckeri Oratio de superanda studii juris ...

Digitized by Google

MAGNIFICE RECTOR.

ILLUSTRISSIMI CURATORES.

NOBILISSIMI ET AMPLISSIMI VIRI

PRAETOR, CONSULES, SCABINI,

QUIQUE IIS ESTIS A CONSILIIS ET SECRETIS

VIRI CONSULTISSIMI.

CLARISSIMI PROFESSORES.

TRIBUNALI ACADEMICO AB ACTIS.

VIR SPECTATISSIME.

SACRARUM LITERARUM INTERPRETES CASTISSIMI.

LECTOR ERUDITISSIME.

OMNIUM ARTIUM ET SCIENTIARUM DOCTORES CONSULTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, ACUTISSIMI.

CIVES, HOSPITES, CUJUSCUNQUE ORDINIS HONORATISSIMI.

TU DENIQUE NOBILISSIMA ACADEMICAE JUVENTUTIS CONCIO, PATRIAE ET PARENTUM SPES, ACADEMIAE DECUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

JOHANNIS CONRADI RUCKERI

ORATIO.

Inter artes, quibus ad veram mens humana informatur ſapientiam, vitaeque ſimul externa quam maxime promovetur felicitas, non alia magis eminet, quam civilis prudentia.

Hac enim praelucente aequum ab iniquo ſeparantes, juſti atque injuſti confinia diſcernimus: hujus ope vera honeſte vivendi praecepta indagantes, actiones noſtras ad decoris, modeſtiae, pudoris normam componere diſcimus: hac denique duce ad innocentiam vitaeque integritatem tendentes, univerſam, qua late patet, animo complecti nitimur juſtitiam, virtutum omnium nutricem ac praeſidem; veram, ut opinor, ſapientiam.

Digitized by Google

Quantum vero dignitatis atque ſplendoris a ſua pulchritudine habet civilis prudentia, tantum commendat eandem infinita, quam vitae humanae praeſtat, utilitas.

Sentimus ſane quotidie & laudamus innumera ſocietatis civilis commoda: at haec ipſa ſocietas, haec civilis conjunctio in nulla re majus habet ac firmius praeſidium, quam in juriſprudentia.

Haec effrenum naturae impetum, quo cum aliena ſaepe injuria ad ſuam intemperantius quiſque fertur utilitatem, potenti legum impetio frangit & coercet: haec aurea juris aequabilitate, vitam, libertatem, bona cujuſque in civitate tuetur: haec tandem publicis privata arctiſſime innectens commoda, concordiam, mutuamque civium amicitiam, & quae inde pendet, communem confirmat vitae felicitatem: ut non erraverit, qui civilem prudentiam praecipuum dixerit vitae humanae praeſidium.

Utinam vero adfirmare mihi liceret, eandem

Digitized by Google

dem eſſe juriſprudentiae facilitatem, quae eſt ejus utilitas atque praeſtantia. Prima quidem elementa, & generalia ejus principia parum difficultatis habent, & ſine multo negotio cognoſcuntur; ſed qui in illis ſubſiſtit, & poſtquam ſollemnes & tralatitias definitionum, partitionum & actionum formulas memoriter pronuntiare didicit, ſe Juriſconſultum putat, immane quantum fallitur: ut vulpes in fabula, ſuperficiem & ſummam vitri oram lambit, pultem ipſam non attigit. Non eſt tam pronus ad interiora Artis aditus, & qui ad pleniorem juris civilis cognitionem contendentes, altius penetrare, & reconditos ejus receſſus rimari in animum inducunt, magnum profecto conantur opus.

Ipſi libri, ex quibus univerſa petenda eſt civilis ſapientia, ſic ſunt adornati, ut non ſine multa in illis verſemur ſolicitudine: deinde, immenſam memoria complecti rerum copiam: obſervare negotiorum ſimilitudines ac diſſimilitudines, diverſique juris inveſtigare ratio-

rationem: acutas praeterea, concertationumque plenas Veterum disputationes enodare, & contrarias auctoritates componere, longi temporis & magnae arduaeque cogitationis indiget.

Mitigari tamen, imo vinci & expugnari possunt illae molestiae & difficultates, si consilio magis quam impetu civilis prudentiae studium adgrediamur; & quae aspera atque impedita in juris arte habentur, magnam partem plana fiunt & facilia, si in ejus tractatione recte & prudenter ordinata adhibeatur diligentia.

Forte gratiam aliquam a jurisprudentiae cultoribus inibo, si in ipso novi muneris exordio hac in primis parte laudabiles eorum conatus juvare, & quantum in me est, promovere tentavero. Ordinariam igitur Juris Civilis Professionem, ex decreto & auctoritate Illustrissimorum Academiae Curatorum, & Amplissimorum Urbis Consulum mihi delatam, auspicaturus, dicam de *Superanda*

Digitized by Google

randa ſtudii Juris Civilis difficultate, & breviter indicabo, qua potiſſimum efficere poſſimus ratione, ut planiorem & expeditiorem inveniamus operoſam juris diſciplinam.

A Vobis A. O. O. H. maximo opere peto & quaeſo, ut faciles benevolasque mihi aures ad breve tempus commodare, & paventem tenuitatis conſcientia animum meum favore Veſtro erigere velitis & confirmare.

Quotieſcunque paulo attentius juriſprudentiam noſtram conſideramus, non poſſumus non vehementer mirari, Romanae eloquentiae Principem M. T. Ciceronem, virum ipſum non mediocriter in jure civili verſatum, adeo nihil difficultatis in illo addiſcendo reperire, ut adfirmare non dubitet, nullius artis faciliorem ſibi cognitionem videri. * Diverſum certe perſuaſum eſt omnibus, quotquot in jure Romano non ſegniter elaborant, utpote re ipſa experientibus, quanto ſudore conſtet, quantiſque accuratior ejus peritia paranda ſit vigiliis.

B Ve-

* L. 1. de Orat. c. 41. & 58.

Digitized by Google

Verum, praeterquam quod humana prope majorem, rerumque omnium capacem mentem nactus Cicero, ſui potiſſimum ingenii vi & magnitudine juris artem metitus eſſe videri poteſt; illud etiam dubio caret, origini ſuae propiorem ejus aetate juris prudentiam admodum anguſtis adhuc ſtetiſſe finibus, eoque ipſo cognitu fuiſſe faciliorem.

At quis ignorat, quantam in molem ſequentibus temporibus, per varias viciſſitudines & frequentes mutationes paulatim excreverit, novis ſubinde Legibus, Edictis, Senatuſconſultis, fori etiam diſputatione, cum maxime autem infinitis Principum conſtitutionibus in immenſum auctum jus civile? ne ipſe quidem Cicero facilem ejus cognitionem inventurus fuiſſet, ſi in ſeriora tempora incidiſſet.

Et quamvis deinde, immoderatam legum multitudinem temperando & in ordinem redigendo, tractabiliorem reddiderit & ſuperabilem jurisprudentiam ſapientiſſimus Imperator Juſtinia-

Digitized by Google

ſtinianus; vel ſic tamen, ſuae etiam aetatis hominibus arduum adhuc & impeditum fuiſſe juris ſtudium, nemo temere negaverit. Qui igitur fieri poſſet, ut nos planam haberemus ac facile parabilem juris artem, qui longe etiam quam illi deteriore ſumus loco, & multis hodie deſtituimur, quae eorum, qui recens a Juſtiniano condita tractabant jura, non parum ſublevare poterant laborem?

Minus illi certe ab antiquis remoti temporibus, minori etiam negotio originem, progreſſum & incrementa juris indagabant. Fori praeterea uſus, peregrino jure nondum interruptus atque immutatus, ingentem praebebat in addiſcenda civili prudentia utilitatem; & quam plurima, ante oculos poſita & in uſu collocata quotidiano, cuivis facile innoteſcebant, quae hodie doctiſſimis etiam negotium faceſſunt. Tandem, quod praecipuum eſt, ipſi, ex quibus deſumta ſunt jura noſtra, integri adhuc extabant Veterum libri & commentarii, quorum ope innumera, quae

male nos habent, illis planiſſima erant & aperta.

At nunc ipſe temporis lapſus, qui nos tanto a Veteribus diſiunxit intervallo, non pauca obſcuravit, ut prima cujusque juris initia ex tam remota antiquitate repetere; quae ſubinde ex aliis, & qua occaſione promanaverint, inveſtigare; diverſorumque temporum jura exacte diſcernere, ardui plane ſit & operoſi moliminis.

Nihil etiam, quod ad genuinum Romani juris intellectum conducere poſſit, fori nobis ſervavit uſus. Etenim, mox poſt Juſtiniani exceſſum, neglecta in Occidente, & per longum tempus quaſi ſepulta jacuit juris diſciplina, nec in foro, niſi valde exiguum, eumque Longobardorum moribus fere accommodatum retinuit uſum: quaecunque autem poſt renatum tandem & inſtauratum duodecimo ſeculo jus civile, primi Doctores in forum ex illo derivarunt, nihil ex antiquitate tenent: quin talia ſunt, qualia in denſiſſima bar-

barbarie rudis ſeculi homines ex Juſtiniani libris utcunque exſculpere potuerunt.

Omnium autem maxime nos affligit, quod ipſa tandem veterum Juriſconſultorum ſcripta quoque temporis injuria interciderunt: poſtquam enim haec ſubtracta nobis ſunt ſubſidia, non eſt, ut quiſquam ſine magno labore ad ſolidam pervenire poſſit juris cognitionem.

Sed quicunque ſeriam arti noſtrae dant operam, difficultatem ejus ſatis ipſi ſentiunt, ut pluribus in ea commemoranda non opus ſit verbis: hoc potius agendum, ut commodam indagemus viam, qua ſuperatis moleſtiis, in tutum aliquando evadere liceat.

Quamplurimum autem hic intereſt, quoſnam potiſſimum ſequamur duces, cum alio itinere ad comparandam civilem prudentiam veteres nos ducant interpretes, alio recentiores; diverſaque plane ratione laborem noſtrum ſublevare nitantur.

Et incredibile quidem eſt, quanto ardore,

Digitized by Google

quantaque animi contentione in juris ſtudio nobis praeiverint, qui fere ſepultam, & per aliquot ſecula ignoratam, in lucem iterum protraxerunt juris prudentiam, Irnerius, Martinus, Bulgarus, Azo, aliique quam plures, qui ad Franc. Accurſium uſque nihil fecerunt reliqui, quod ad eruendam & expediendam pertinere putabant juris artem, viribuſque incubuerunt omnibus, ut obſcura illuſtrando, diſiecta colligendo, contraria conciliando, poſteris eandem relinquerent planiorem.

Negari etiam non poteſt, quam plurimum nobis illorum profuiſſe diligentiam, & breves perſpicuaſque, quas ab illis habemus adnotationes, & quae ab Accurſio collectae & auctae Gloſſae vocari ſolent, viam ad enitendum in multis reddidiſſe faciliorem: ſi quis tamen veterum illorum interpretum ope difficultatem ſtudii juris ſuperari, & civilem ſapientiam ex Gloſſis hauriri poſſe arbitretur, nae ille vehementer errat. Ut enim multa habe-

habeant bona, longe tamen plura ſunt, quae obſcuro illo & humaniorum literarum luce deſtituto ſeculo, vel ne attingere quidem ſunt auſi primi illi Doctores, vel perperam & inepte tradiderunt: ut ab illis planam & expeditam juris cognitionem ſperare non poſſimus.

Sed multo etiam longius de via deflectemus, ſi, qui poſt Accurſium extiterunt, Bartolum, Baldum, Alexandrum, Jaſonem, & ſimilis farinae interpretes, duces nobis eligamus. Hi enim praepoſtera plane diligentia ad augendam plus contulerunt, quam ad minuendam artis noſtrae difficultatem, perverſaque tractandi jura ratione ſic paulatim omnia intricarunt & conturbarunt, ut ſi, quas aeque ac forum occupauerant, diutius tenuiſſent ſcholas, non jam difficilem dicam & aſperam, ſed inſuperabilem omnino habituri eſſemus juris diſciplinam.

Etenim pro ſuccinctis & brevibus priorum interpretum ſcholiis, vaſta & immania ſubſtitue-

ſtituerunt volumina, quodque pejus eſt, ea ipſa ſaepe Voluſii Annalibus haud multum meliora.

Non raro certe, ut magna perpetuo docere credantur, planis quoque rebus atque perſpicuis, tenebras & caliginem quaſi de induſtria circumfundunt, cum vero difficilia tractant & impedita, ad ſubtiles frequenter confugiunt Dialecticorum ſpinas, ut rem, quam apta diviſione expedire nequeunt, infinitis & impeditis, acutis magis quam veris diſtinctionibus frangant & comminuant: ne praeterea parum multa ſcire videantur, omnia perperam miſcentes & confundentes, quaelibet quolibet tradunt loco, nihilque ducunt pulchrius, quam frequentes, ad rem etiam nihil plane pertinentes, ubivis interſerere quaeſtiones, ut unius male captatae voculae occaſione in prolixas ſaepe evagentur diſputationes, cum per ſe otioſas, tum a re, quam tractant, alieniſſimas: & ne tandem in univerſa juris prudentia quidquam tam cer-

certum ſit & inconcuſſum, quod impugnare nequeant & convellere, non Legum auctoritate, rationisque & argumentorum pondere de veritate certant; ſed vanis & inanibus Doctorum opinionibus abſurdiſſimas quaſque ſententias firmant & tuentur.

Sed ſatis ſuperque adparet, oleum & operam perdere, quicunque ad horum ſe componunt exemplum, arduamque juris viam ejusmodi ducibus ſuperare inſtituunt.

Melius nobis conſuluerunt, qui altero abhinc ſeculo, in extrema ſtanti tegula, & jam praecipitanti, opportune ſubvenerunt jurisprudentiae, Viri immortali nominis gloria celeberrimi, Gulielm. Budaeus, Andr. Alciatus, Ant. Auguſtinus, Franc. Duarenus, Hugo Donellus, & ut alios plures praetéream, is, qui ſolus fuit pari jurisprudentiae magnitudini ingenio, Jacobus Cujacius.

Hi, depulſa quam vaſti & agreſtes homines in Jurisconſultorum ſcholas invexerant barbarie, explosisque nugaciſſimis interpretum

commentis, toti in eo fuerunt, ut genuino & priſtino juris artem reſtituerent ſplendori: cumque ad veram ac ſolidam, hoc eſt, ad meram Veterum prudentiam omnia exigerent, tam clara paulatim luce univerſam perfuderunt juris disciplinam, ut, quae ad illud uſque tempus tanquam tetricum aliquod & inextricabile chaos contemta jacuerat, inter pulcherrimas tandem caput extulerit ſcientias, omnesque liberalis ingenii homines ad ſui traxerit admirationem.

Sed videamus quaeſo, A. O. O. H. qua ratione ex tam denſis emerſerint tenebris, & ad illud artis noſtrae faſtigium evaſerint incomparabiles illi Viri, ut eandem, quam ipſi tam feliciter praeiverunt, inſiſtentes viam, firmo gradu & inoffenſo pede ad ſolidam juris cognitionem graſſari, innumerasque, quibus civilis prudentiae ſtudium obſidetur, difficultates eluctari queamus.

Veriſſime monuerunt Veteres, omnis eruditionis principium eſſe verborum intelligentiam.

Digitized by Google

tiam. Inani certe & vano molimine ad ſcientias nitimur, ſi aliunde quam ab humaniore literatura ducamus initium: & vix eſt, ut in interiora cujusque artis penetrare poſſit, qui non ſit a Latinis, ut oportet, inſtructus literis. Hae ſane aliquando neglectae & collapſae, diſciplinarum omnium ſecum traxerunt interitum: his iiſdem in lucem iterum productis, artes quoque valetudinem, vires, & colorem recuperarunt: haec denique ſunt fundamenta, quae, licet minus conſpiciantur, totum tamen cujusque ſcientiae faſtigium ſuſtinent: & ut haec initia recte vel ſecus ſunt poſita, ſic fere cetera ſolent ſequi.

Si vero aliam, cum maxime juris disciplinam obnoxiam habet, & quaſi vectigalem Latinae linguae cognitio.

Praeterquam enim quod in Latino ſolo nata eſt, alta & educata jurisprudentia, mirum plane fuit veterum juris Auctorum ingenium in excogitandis, & diligens cura in obſervandis cuique rei propriis verborum formulis: in

Digitized by Google

his autem quid videat, quid intelligat, qui non eſt Latine doctus? Quemadmodum qui ſpinas in pedibus habent, ubique ſpinas calcant; ita qui ſine Romani ſermonis peritia ad Romanorum Leges accedunt, ubivis difficultates ſentiunt: nihil illis eſt planum, nihil expeditum: in leviſſimis aeque ac in aſperis haerent & excruciantur.

Ad primos ſaltem interpretes, qui a renata jurisprudentia ad Accurſium uſque floruerunt, oculos convertamus: impenetrabiles in quam plurimis Veterum fragmentis offendunt tenebras, ut in Legum capitibus exponendis non aliter ſaepe, ac ſi Sibyllae folia tractarent, incerta ratione vagentur & fluctuent. Nec tamen ingenium illis defuit, nec induſtria: ſed quo minus veram Veterum mentem in pleriſque adſequi potuerint, non aliud aeque fraudi illis fuit, quam Latinae linguae imperitia. Quid quod ipſas illas futiles & otioſas altercationes, quibus contentioſa Bartoli ſchola univerſum jus civile implicuit, ejusque ſtudi-

um

um pene reddidit insuperabile, magnam partem peperit & fovit puri sermonis contemtus & ignorantia.

Probe hoc viderunt, quibus prima instauratae verae jurisprudentiae gloria debetur, Viri egregii, Gulielmus Budaeus & Andreas Alciatus: hanc enim ob causam insignes illi duumviri non aliunde primam obscuratae penitus & conturbatae juris arti lucem accendendam esse putarunt, quam a Latinitate & elegantia. Novam igitur, prioribusque interpretibus plane incognitam ingressi viam, civilis prudentiae studio Latinam feliciter junxerunt literaturam, eaque praelucente cum ipsi, tum alii deinceps Jurisconsulti infinita Veterum loca, quae antea dubia, obscura & difficilia habebantur, confirmarunt, illustrarunt, enodarunt: Antistii Labeonis imitati exemplum, qui Latinarum vocum origines rationesque percalluisse, eaque praecipue scientia ad enodandos plerosque juris laqueos usus fuisse perhibetur. * C 3 Li-

* Aul. Gellus 13. N. A. 10.

Licet autem quam plurimum ad ſuperandam ſtudii juris civilis difficultatem conferat accuratior linguae Latinae peritia, rem totam tamen minime abſolvit: nec unquam ad culmen artis noſtrae evaſiſſent ſtrenui illi maſculae jurisprudentiae vindices, niſi Hiſtoriae quoque & Antiquitatum Romanarum cognitionem in ſubſidium vocaſſent.

Non enim ea eſt Legum Romanarum natura & indoles, ut qui verba perſpecta habet, vim quoque & poteſtatem earum protinus teneat: in abdito ſaepiſſime jacet, denſis poſt tantam temporis intercapedinem involuta tenebris veterum juris Auctorum mens & ſententia, cui inveſtigandae & eruendae perſpicaciſſimi quoque fruſtra non raro inſudarent, niſi Hiſtoria facem praeferret.

Vulgatum eſt, rationem Legis, ejuſdem eſſe animam; verumque juris cujusque intellectum tum demum plene ut plurimum haberi poſſe, cum de cauſa conſtat, quae Legiſlatorem ad illud conſtituendum impulit atque

que permovit. At illa ratio, illa cauſa, unde quaeſo hodie in juris Romani tractatione nobis innoteſcet, niſi ex Hiſtorica doctrina? Pendet enim jurisprudentia noſtra poſt tantas, quas toties ſubiit, mutationes & viciſſitudines, ab omnibus Reipublicae Romanae aetatibus, & ex ſingulis aliquid tenet: has igitur omnes neceſſe eſt, ut attenta mente perluſtremus, diverſamque variis temporibus Reipublicae conditionem diligenter obſervemus, ſi quid veteri juri mutando, abrogando, revocando: quid itidem novo condendo & inducendo cauſam & occaſionem ſubinde praebuerit, deprehendere velimus. Incredibile eſt, quantum jurisprudentiam noſtram hoc in primis Hiſtorico ſubſidio inter alios juverit Praeſtantiſſimus ille Codicis Theodoſiani interpres, Jacobus Gothofredus: innumerae ſunt Principum conſtitutiones, quam plurima alia juris civilis loca, quorum abſconditum plane ſenſum hac praecipue clave feliciter reſeravit & aperuit.

Sed

Digitized by Google

Sed quid in ſola legum ratione inveſtiganda haereo, cum in univerſo juris civilis ſtudio pene nihil ſit, quod Hiſtoriae & Antiquitatum ope non indigeat? In ipſo ſtatim elementorum juris veſtibulo populus & plebs comparent in comitiis, Senatus in Curia, Princeps in Conſiſtorio, Magiſtratus denique & Prudentes in foro, tanquam totidem juris auctores & conditores: numquid autem diverſam horum omnium circa Leges poteſtatem diſcernere: an variam illam juris conſtituendi rationem intelligere quiſquam poterit, qui Reipublicae Romanae formam, omnemque ejus adminiſtrandae rationem animo non teneat? Finem dicendi non invenirem, ſi ad ſingula porro juris capita deſcendere, & quantum moleſtiae, quantum difficultatis Hiſtoriae & Antiquitatum ignari ubivis offendant, exſequi vellem. Unica argumento ſit, qnae per univerſum jus civile late diffunditur, & circa magiſtratus, eorumque officium & poteſtatem tota verſatur, nobiliſ-

ſima

Digitized by Google

ſima Jurisdictionis materia : nihil in ea extricabit , qui veterem ignorat judiciorum ordinem , tribunalium & ſubſelliorum diſcrimen: fruſtra deſudabit , qui cognitum non habet, quid urbani magiſtratus a provincialibus , quid ordinarii ab extraordinariis , quid majores a minoribus , quid denique ab utrisque diſtent judicum decuriae : quae omnia tamen , niſi diligentem Hiſtoriae & Antiquitatum ſtudio dederimus operam , juxta cum ignariſſimis neſciemus.

Sed adparet opinor , A. O. O. H. quam utilis , imo quam ſit neceſſaria Juriſconſulto futuro Literarum , Hiſtoriae & Antiquitatum Romanarum cognitio: quamque parum in arduo juris ſtudio proficere poſſint, quibus non eſt iſtis ſcientiis ante incoctum pectus. Xenocrates ei , qui neque Muſica, neque Geometria , neque Aſtronomia inſtructus , ludum ſuum frequentare cupiebat , Abi , dicebat, anſas enim Philoſophiae non habes. * Non

* Diog. Laert. vita Xenocr.

Digitized by Google

ferrent ſcholae noſtrae ferocem ejusmodi & odioſam Doctoris vocem: illud tamen adſeverare non vereor, ſolas, quibus jurisprudentia commode adprehendi poſſit, anſas eſſe humaniores literas: & qui prudenter rebus ſuis proſpiciunt, inſtrumenta illa ante conquirunt, quam ad juris civilis fundum exercendum accedant. Plus ſatis certe in ipſo deinceps juris ſtudio deprehendunt operis atque negotii, in quo recte etiam praeparatus, totus tamen occupetur animus. Magna rerum addiſcendarum copia, capaciſſimae quoque memoriae gravis: Ingens legum, a ſuis ſubinde originibus repetendarum numerus: Subtilitates, perſpicacis quoque mentis aciem non raro fallentes: Veterum denique fragmenta, nonnunquam vere, ſaepius in ſpeciem pugnantia atque contraria: & quae alia plurima operoſam reddunt & impeditam juris artem, non paucas cultoribus ejus creant moleſtias, deſultoria opera, & tralatitia diligentia minime ſuparandas.

Sen-

Digitized by Google

Sentiunt hanc ſtudii noſtri difficultatem, & vehementer ea conflictantur, quotquot illud ſeria mente, & non perfunctorie tractant: ut nihil aeque ſit neceſſarium, quam ut aptam circumſpiciamus viam, qua in tam aſpero opere, & inter tot impedimenta facilius progredi poſſimus.

Eo vero, ſi quid aliud, illud praecipue facit, ut ex ipſis omnia haurire nitamur fontibus, nec unquam a diligente ipſorum Veterum lectione nos avelli patiamur.

Aliud quidem antiquis ſedet Doctoribus, qui de hac re ſententiam rogati, ad immenſa nos ablegant interpretum commentaria, nec aliter, niſi vaſto illo enavigato Oceano, portum teneri poſſe contendunt: & in immanibus Conſiliorum, Opinionum, Deciſionum voluminibus totos nos eſſe jubent & aſſiduos, ſi praeclarum aliquid in jure conari, & ſolidam ejus cognitionem nobis comparare velimus. Sed magnus quid ad haec Cujacius? illi dolet, quod adoleſcentiam ſuam in ejus-

modi ſcriptis male conſumſerit : * & poenitet incomparabilem Virum, non totam ipſis juris Auctoribus impendiſſe aetatem. Ex hiſce nimirum, quos diurna verſavit, & nocturna manu, ſtupendam illam hauſit, quam tanto opere in eo admiramur, juris doctrinam : ſuoque nos ſimul docuit exemplo, certiorem ad ſuperandas quaſcunque in jure difficultates non eſſe viam, quam ſi ipſis perpetuo immoremur Legum capitibus, & in earum verbis probe expendendis & intelligendis magis, quam in interpretibus evolvendis noſtram collocemus induſtriam.

Sed interrogabit me forte quiſpiam, quo igitur penes me ſint loco, doctiſſimae tot inſignium Virorum lucubrationes? an ſeponendas eas, & amplificandis bibliothecarum titulis, quam jurisprudentiae promovendae aptiores cenſeam? an contemtis iis, quae excellentis ingenii Viri ſaepe divinitus excogitarunt, ſuo quemque Marte omnia juris aenigmata ſolvere jubeam? Ve-

* Conſult. 23,

Verum, abſit a me tam ſuperba de laborioſis his & induſtriis Viris ſententia! abſit quam longiſſime tam ineptum ſupercilium! infinita ſunt, in quibus aqua nobis quotidie haereret, niſi conatus noſtros erudita juvarent interpretum ſcripta: innumera offendimus, in quibus extricandis, poſtquam multum ſaepe, & fruſtra deſudavimus, ad illos cum fructu recurrimus: & quotuſquiſque tandem ſine Cujacio ſupra vulgus in jure ſapit? Quin, ne adoleſcentes quidem inutiliter in doctis verſari commentariis arbitror, dummodo prudens adhibeatur dilectus: Sed hoc volo, primam ſemper atque praecipuam operam in ipſa librorum juris lectione ponendam eſſe; & fieri non poſſe, ut magnos in juriſprudentiae ſtudio faciat progreſſus, praeclarumve aliquid in eo praeſtet, qui non ipſa Principum, veterumque Juriſconſultorum verba diligenter & perpetuo inſpiciat, aſſidua meditatione perpendat, eaque potiſſimum ratione ad veram juris ſcientiam con-

tendat. Imo, dicam enim quod ſentio, inter cauſas, ut illi quoque, qui bene animati ad juris ſtudium accedunt, ſpe ſua interdum excidant, non ultimam hanc eſſe arbitror, quod rivulos ſectamur, fontes ipſos negligimus, & praepoſtera diſcendi cupiditate abrepti, cum doctis quidem interpretibus habitamus, ad veteres autem juris auctores vix aliquando divertimus, & velut a limine eos ſalutamus. Certe Cujacium, quo nemo plura & meliora in jure docuit, tantum non haberemus, ſi minus ipſis Veteribus uſus fuiſſet: nec ceteri, quotquot in hunc uſque diem excellentiori juris doctrina illuſtres extiterunt, ad intima quaeque artis noſtrae penetraſſent, ſi alia, quam ipſa Legum capita diligentius verſaſſent. Sit igitur noſtra quoque prima, ſit ultima cura in ipſis juris civilis libris: in his noſtram perpetuo exerceamus induſtriam: & in horum lectionem tota mente, omnique animi impetu incumbamus.

Ha-

Digitized by Google

Habent quidem, fateor, qualia Juſtinianus nobis concinnavit juris volumina, magnam, & legentibus ſaepe non parum taedioſam difficultatem: ſed hanc quoque feliciter ſuperabimus, ſi recto ordine, & conſilio utamur prudenti.

Primam vero omnem diligentiam noſtram hic merito ſuo ſibi depoſcit elegantiſſimus, quo juris elementa continentur, Inſtitutionum libellus. Inanem enim atque irritum omnino juriſprudentiae inſumimus laborem, niſi ex iſto fonte principia artis penitus ante imbibamus: nec eſt, ut vel in Veterum ſententiis, vel in Principum conſtitutionibus cum fructu quiſquam verſari poſſit, qui viam ad eas ſibi non ſtraverit & complanaverit familiari elementorum juris uſu.

In his igitur ante omnia totos nos eſſe oportet, ut aſſidui uno opere eandem incudem diem noctemque tundentes, aureum Inſtitutionum libellum attente & ſolicite perpetuo legamus, cum cura uſque & uſque relegamus,

mus, & ne tunc quidem, cum ad altiora jam progreſſi ſumus, unquam de manibus deponamus. Magnum illud Belgii noſtri decus, Hugo Grotius, cum inter graviſſima quaeque negotia Terentii fabulas ſubinde tereret, inſtituti hujus cauſam roganti dixiſſe fertur: alia in illis legere pueros, alia viros. Non abſimili ratione res ſeſe habet cum parvo quidem, ſed utiliſſimo juris Inſtitutionum libello: quam plurima in illo vident veterani & provectiores, quae tirones & novitios facile fugiunt. Incredibile vero eſt, quantum lucis ac facilitatis in ceteris etiam deprehendamus juris voluminibus, ſi elementa iſta tota recte perſpecta, & veluti in numerato habeamus.

Non deſunt tamen alia quoque adminicula, quorum ope non pauca, quae vel maxime obſcura videntur & ambigua juris civilis loca, in clara luce collocare, veramque Veterum mentem feliciter expiſcari poſſumus. Ut enim non dicam, quantum utilitatis ad recte

Digitized by Google

cte intelligenda Legum capita haurire liceat ex variis, quae extra Juſtiniani opera ſuperſunt, veteribus juris monumentis, ex Codice Theodoſiano, ex Caii, Pauli, Ulpiani fragmentis, ex Collatione Legum Moſaicarum & Romanarum, ex Baſilicorum aliiſque ejusmodi libris: Ut taceam quoque quam multa ſaepe obſcura commode illuſtremus, collatis invicem pluribus, cum ejuſdem, tum diverſorum Juris Auctorum ſimilibus locis: vel ſolus quam late patet uſus, quem inſcriptiones Legum juris noſtri libris praeſtant? ex his opportune non raro diſcimus, quorſum referri debeant, quae vel generatim, vel aliter accepta a vero longiſſime abirent Jurisconſultorum verba: harum ope Veterum fragmenta, a ſuis avulſa principiis, & male diſiecta ad proprias revocamus ſedes, eorumque alte demerſum manifeſto ſaepe detegimus ſenſum: hæ denique in Principum quoque conſtitutionibus exponendis non parum interdum nos juvant, ut reſcripta ab edictis, recenti-

ora ab antiquioribus prudenter diſcernere, & ſuis quaeque accommodata temporibus facilius explicare queamus.

Expoſui breviter, A. O. O. H. praecipua, quae ad ſuperandam ſtudii juris civilis difficultatem pertinent, & oſtendi, mea quidem ſententia non aliter parabilem eſſe ſolidam juris cognitionem, quam ſi a Literis, Hiſtoria, & Antiquitatibus Romanis recte inſtructi ad jurisprudentiam accedamus, primariamque operam noſtram in prudenter inſtituta ipſorum Veterum lectione collocemus.

Antequam vero finem dicendi faciam, ſinite quaeſo, Illuſtriſſimi Academiae Curatores, atque Ampliſſimi Urbis Conſules, ut quantam Vobis debeo gratiam, publice ex hoc loco profitear. Immortali memoria retinebo inſignem Veſtram erga me benevolentiam, qua benigne admodum de ſtudiis meis ſentientes, non ita multo abhinc tempore ad prima me honorum initia produxiſtis, & pulcherrimo jura publice praelegendi munere con-

Digitized by Google

condecoraſtis. At quanto ampliorem nunc experior favorem Veſtrum, cum ipſi Togatorum ordini adſcriptum, inter Honoratos & Clariſſimos Viros locum me capere juberis? ingratiſſimus eſſem, niſi laeta mente tanta Veſtra beneficia agnoſcerem & commemorarem. Non levem tamen animo meo ſolicitudinem obrepere ſentio, & vereor, ut ſuſcepti muneris magnitudini pares ſint meae vires. Totus autem contremiſco, cum reputo mecum, quali & quanto Heroi me ſucceſſorem eſſe volueritis: quis ego, ut poſt magnum prodeam Schultingium? Virum, quo majorem nulla vidit aetas: cui parem futura fruſtra deſiderabunt ſecula. Succollabo tamen & alacriter ſubibo quod humeris meis onus impoſitum video, magnique Praeceptoris veſtigia, longo licet intervallo, ſequi, & quae doctrinae meae atque ingenio deſunt, diligentia & indefeſſo labore ſupplere conabor. Vos interim, quos Deus Reipublicae & Academiae certiſſimo bono quam diu-

tiſſime ſalvos eſſe jubeat & incolumes, Illuſtriſſimi atque Ampliſſimi Viri, qua poſſum devota mente rogo quaeſoque, ut me totum Veſtri beneficii hominem, ulterius favore atque benevolentia Veſtra clementer complecti, & benigne fovere velitis.

Ad Vos me converto, Clariſſimi Profeſſores, Viri doctrinae, ſapientiae, & verae virtutis gloria Celeberrimi. Vos obſecro & obteſtor, ut me novum Collegam in ordinem Veſtrum non gravate admittatis, & adminiſtrandae provinciae cogitatione vehementer ſolicitum, conſilio & prudentia Veſtra benigne juvetis & regatis. Ego quidem nullo non obſequii & officii genere Vos demereri ſtudebo, nec unquam Veſtram revereri & colere deſinam Virtutem: meos tandem ſic in univerſum Vobis probabo mores, ut, quo maxime voto potiri optem, benevolentiam, amorem, amicitiam Veſtram mihi poſſim conciliare.

Non committam, Praeſtantiſſimi Juvenes, Com-

Digitized by Google

Commilitones ſuaviſſimi, ut Vobis inſalutatis diſcedam. Pulchre Vobiſcum agitur, quibus a Magnis hiſce, & praeſentiſſimo literarum bono natis Viris erudiri, & ad virtutem informari contingit: nec poſſum non proſperam laudare fortunam Veſtram, quorum diligentiae impenſa Illuſtriſſimorum Academiae Procerum cura tam facilem ad quaſvis artes atque ſcientias pandit aditum. Sed quid non meretur nobilis ille, qui Vos ad ſapientiae ſtudia agit & impellit ardor? quis non bene collocatam putet, quam ingenuae huic indoli impendit operam? Felicem me, ſi ipſe quoque Vobis ornandis, & doctrina inſtruendis aliquid conferre potero! Equidem ſuſcepti muneris ſacramento ſancte Vobis adſtrictus; ipſa etiam ſtudiorum communione arctiſſime conjunctus; effuſa autem animi propenſione totus Veſter, nihil unquam prius habebo, nihil antiquius, quam ut Veſtris perpetuo inſerviam commodis: Veſtra utilitate meam omnem metiar fortunam, nec ul-

lum ſubterfugiam laborem, nulli parcam tempori, ut quibus tam liberali & generoſa mente inſudatis, juvem atque promoveam Veſtra ſtudia: quaelibet de Vobis bene merendi placebit occaſio. Hoc unum a Vobis ſummo opere peto, ut, qua me hactenus proſecuti eſtis, Veſtram porro experiar benevolentiam.

D I X I.

Digitized by Google

VIRO

CONSULTISSIMO, AC CLARISSIMO

JOANNI CONRADO RUCKERO, JCto.

Quum in inclyta Academia Lugduno-Batava Juris Utriusque Professionem feliciter auspicaretur.

Qui nuper tristes cogebar condere versus,
Cum periit nostræ gloria summa Scholæ,
Cum cecidit Themidis sanctus summusque sacerdos,
Et quo majorem secula nulla ferent.
Aſt immortales SCHULTINGI dicere laudes
Cur nunc? cur umquam? cur mea penna cupit?
Vilis penna nequit meritas extollere laudes;
Sed faciant magni, quos decet hocce, Viri,
Hoc tantum faciant Leidensis fama Lycæi,
Hosce Viros summos has celebrare decet:
SCHULTINGI laudes cecinit BOERHAAVIUS, ingens
Miraclum mundi, carmine blandisono:
Rettulit has laudes VITRIARIUS ore diserto,
Qui Themidis nostræ gloria semper erit.
Quid streperet tantos anser nunc inter olores,
Quid jam tentarem plectra movere mea?
Has laudes retulere Viri, queis gloria summa
Debetur semper. conticeam potius:
Cum mea SCHULTINGI superent præconia laudes:
Aſt Tanti laudes quis meritas referet!
Nunc ego, qui quondam tristi modulabar avena,
Cum cecidit nostræ fama decusque Scholæ,

Cum

Digitized by Google

Cum periit fato ſummus SCHULTINGIUS : eheu !
Nunc lætus canto , cum jubet alma Themis.
Quis putat hoc læto me tempore poſſe tacere ?
Munere cumque tuo geſtit & ipſa Themis.
Non ego jam ſileam , cum tu RUCKERUS honores
Summos , & meritis præmia digna capis ;
Cum venit ille dies , quo ſummo jure Poeta
Qui ventura canit , fatidicuſque vocor :
Namque hæc , cum primum Lectoris munus obires ,
Carmine præſago vaticinabar ego.
Gratia Dîs , fructus ſudoris carpis honeſtos ,
Cum tu pro meritis præmia ſumma capis.
Gratia Dîs , dederint quod dicta habuiſſe vigorem ,
Quodque Profeſſorem te mea Muſa canat.
Surgit & ipſe caput buſtis SCHULTINGIUS effert ,
Cum plaudunt omnes , gaudia magna refert ,
Egregioque ſuo jam ſucceſſore ſuperbit :
Greſſum SCHULTINGI cum premere ipſe cupis.
Alma Themis meritis RUCKERI maxima debet ,
Sacra docet Themidis cum facili methodo ,
Cum docet hancce viam , qua ſumma moleſtia Juris
Vincitur , Aſtræaque interiora patent.
Debetur nulli melius provincia ſumma,
Quam , RUCKERE , tibi , quem cupit ipſa Themis.
Gratulor hanc tibi mandatam provinciam , & opto ,
Hoc ut tu capias munere tale decus,
Quale habuit noſter magnus SCHULTINGIUS omni
Tempore : SCHULTINGI nomen in orbe viget ,
Et vivet ſemper SCHULTINGI nobile nomen ,
Donec in his terris unda ſuperſtes erit.
Sic , RUCKERE , tuum , ſpero , celebretur in orbe
Nomen , & ab mortis conditione vacet !
His faveat votis ſummi Moderator Olympi !
Atque tuis cœptis ſemper adeſſe velit !

DANIEL. D. F. VAN ALPHEN,
Jur. Utr. Candidat.

Digitized by Google